

contingentibus divinare non erubescant, cum multa presentia in astris ignorent sidera, & ita cæcis & falsis suis prognosticis procedant. Cumque semper æquivocè mentiantur prognosticando, mirum non est, ea quæ alias reverà casu tantum contingunt, quandoque, etsi præter intentionem prognosticantium accidere, sicque prædictionibus eorum à simplicioribus fidem haberi. Horum igitur ignorantium nugatorum nugas prudenter & cautè devita.

Et Franciscus Farnesius lib. 2. Phil. Nat. cap. 13. n. 756. inquit: Mendax est divinatric quæ dicitur Astrologia, somnia sunt quæ futura prælegunt in stellarum quasi elementorum compositione: nec verò mirum est, si, ubi multa mentiti sunt, aliquid veri eveniat ex ostentis somniorum.

Cui Mersennus in notis super Aristarchum pag. 61. adstipulatur di-

cens: Quia vapores & exhalationes à Terra sponte seu virtute quadam expultrice emittuntur, frustra se excruciare misellos Judiciarios ad hoc, ut causas pluviarum, tonitruum, ventorum & cæterorum ejusmodi effectuum à Planetis vel ab aliis Cæli partibus addiscant: sicque illi longè à se non quærere deberent, id, quod à Terra ipsa quam incolunt repetendum est.

Imo, ex ignorata tot ante seculis (teste Ricciolo lib. 4. de Luna. Quæst. 11. in fine) Lunarium diversitate ac libratione non secus ac ex incognitis ante nostrum hoc seculum Jovis ac Saturni comitibus eorumque motibus, aut Solarium Macularum vicissitudine, non minimum argumentum sumi potest contra Astrologiæ Judiciariæ certitudinem. Vero simillimum quippe est ex horum quoque diversitate, diversos etiam influxus cælestes in hæc inferiora.

## LIBER QUINTUS,

DE

# TERRAQUEO GLOBO

& ejus Sociâ quæ vocatur LUNA.

CAPUT I.

De Terraqueo Globo, sive Tellure, ejusque Magnitudine.

Terraqueus globus hoc loco consideratur ut corpus Mundanum.



Non describimus hoc loco Tellurem secundum ejus Superficiem, id est, quo ad Regna, Regiones, Maria, Flumina, Montes, Insulas, Urbes, Incolas &c. ut in Cosmographiis describi solet: sed consideramus illam quatenus Corpus est Mundanum.

Est rotundus.

Est autem Tellus nostra, globus rotundus, non quidem secundum geometricam acribiam, sed ejus sphericitas est ad proportionem ac sensum, ita ut omnes Montes atque profunditates, nullius sint momenti quando comparantur cum toto globo;

Undè quoque in Lunari Eclipsi umbræ terrestris in Lunæ globum incidens figura exactè rotunda videtur. Quantum verò Maria attinet, illa omnia inter sese sunt sphericè adæquata in una horizontali superficie ubique à centro æqualiter distantia, uti cap. 5. docebimus.

Maria sunt in horizontali superficie.

Hunc globum continere in circuitu milliaria germanica 5400, sive Italica 21600, antiquitas docuit, idemque unanimiter recentior asserit ætas, unde ejus diameter (quia proportio circumferentiæ ad diametrum semper est ut 22 ad 7) habet 1718 $\frac{1}{2}$  milliaria germanica, seu pro faciliiori calculo

Circumferentia Telluris ut & diameter ejus quantæ sint.